

1/98

IDIBVS MAIIS

MCMXCVIII

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS I
RMOR VARIVS F
RMOR VARIVS F

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
IDIBVS

TOMVS 21

FASC. 122

PRÆFATIO

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:
Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausge- gegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:
Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

Amicae et amici nostri!

Quia hoc anno RVMOR VARIVS diem natalem vicesimum celebrat, **Udalricus Aeschlimann**, creator et quasi pater nostri libelli, vobis de eius ortu et vita nonnulla narrabit.

DE RVMORIS VARIII VITA

Cari legentes,

Commentarii, quibus nomen RVMOR VARIVS, hoc anno MCMXCVIII diem natalem suum vicesimum celebrant. Fortasse miramini, quomodo fieri potuerit, ut hic parvus libellus minima sua editione exemplarium CCCXXX sexies in singulos annos editorum per tempus tam longum sanus salvusque pervixerit.

En, cari amici amicaeque, et mihi ipsi, qui his fasciculis olim vitam inflaveram et inde per multos annos curabam, ut viverent, florerent, crescerent, profecto mira haec res his nostris diebus esse videtur. Nam egomet ipse, cum veram causam ignorem, tamen optime recordor horum fasciculorum diem natalem - licet sit ab illo die usque ad nostrum tempus intervallum XX annorum! Inutile esse puto multa quaerere de quo supra disseruimus; immo multo melius esse narrare de vero ortu commentariorum, quos manibus tenetis, mihi videtur.

De RVMORIS VARIII vero ortu

Aliquo enim die hiberno anno MCMLXXXVIII una cum quodam collega, qui - ut ego illo tempore faciebam - linguam Latinam docebat, vesperi poculum vini bibebam in aliqua taberna scholae nostrae vicina. Tum uterque nostrum tali modo otio fruens et disputans deplorabat invidiam et tae

dium magnum, quo discipuli interdum textus Latine scriptos eo fine sibi propositos, ut non modo legerent, sed etiam interpretarentur, tractare solebant. "Cur fit", deliberabamus, "ut interdum studium textuum Latinorum tam moleste ferant?" Post longam disputationem denique nos huius rei causam veram et manifestam repperisse putavimus: "Sine dubio", uterque statuit, "id fit, quod multa a scriptoribus Romanis olim litteris mandata hominibus his nostris diebus viventibus, imprimis iuvenilibus, non iam magni momenti sunt, e.g. illa, quae Gaius Iulius Caesar in libris, quibus titulus 'De bello Gallico', scripsit de proeliis a se confectis et earum exitibus accurate lateque narrans." Quibus in libris enim profecto nonnulla exempla inveniuntur moleste et legenda et ferenda, praesertim cum a discipulis grammaticae linguae Latinae nondum peritissimis in linguam hodiernam Theodiscam converti debeant, antquam illi parum iucundos eos nuntios esse cognoscant! Exemplo sint hae sententiae Caesaris:

"Huc Caesar magnis nocturnis diurnisque itineribus contendit occupatoque oppido ibi praesidium collocat." (BG I, XXXVIII)

Rogo vos, cari legentes: Num quid magni momenti haec sententia exprimit?

"Septimo die, cum iter non intermitteret, ab exploratoribus certior factus est [Diviciacus] Ariovisti copias a nostris milia passuum XXIV abesse." (BG I, XXXXI)

Rogo iterum: Quid hominibus nostra aetate referat, utrum Ariovisti copiae a Caesaris milia passuum XXIV an milia passuum X an milia passuum XXX an alia distantia afuerint?

In libris praeclaris scriptorum Romanorum multa maxime digna, ut legantur, inveniuntur, sed - heus! - etiam multa hominibus nostra aetate viventibus parum iucunda

Puto et vos, cari legentes, consentire: Licet contineant opera scriptorum antiquorum multa ut legantur et traducantur digna, multa magni momenti (imprimis illa, quae de rebus philosophis atque de consuetudinibus, moribus cultuque hominum illorum temporum composita sunt, vel

VARIVS RVMOR

EPISTVLAE SINGVLIS MENSIBVS DISCIPVLIS COMMVNITATIS ACADEMICORVM DISTRIBVTA

Exemplar primum	Editum pridie Kalendas Martias MCMCLXXVII (28. 2. 78)	Edidit discipuli et magistro, linguae Latinae mae Thomas Wichtervir et Ulricus Aeschlir
-----------------	--	--


Editores discipulis linguae Latinae S. D. P.!

Quicumque hunc commentarium, qui hodie primus in aedibus Acadis distribuitur, legerit "tandem, tandem editus est" dicet gaudebitque hoc antiquum consilium, de quo tam diu in schola disputatum fuerit, tandem in factum verum esse!

Variae erant difficultates, quibuscum nos editores pugnabamus antequam haec prima editio huius commentarii distribui potuit. Nam - deplorabile dictu! - primum perpauci mode discipulorum quaestioni de nomine aptissimo istius commentarii responsum dederunt; deinde nobis editoribus tempus commentariorum scribendorum diu deerat; postremo cupiditas scribendi - confitemur! - saepe nos reliquit.

Sed nunc tandem factum est initium. Ergo gaudeamus, studiosi! Inter eos, qui quaestioni nostrae responderunt, maximi putant optimum titulum commentariorum nostrorum, qui singulis mensibus temporibus futuris distribuendi sint, esse "Varium Rumorem". Ergo - secundum illud proverbium antiquissimum: vox populi vox Dei - liceat ei nomen "Varius Rumor" dari. Omnibus responsis vestris gratiam agimus! Initium est factum, ut supra diximus; nunc speramus quam plurimos vestrum pro exemplari secunde, quod mensae Martio vel mense Aprili distributum futurum sit, quae plurima articula scripturos esse. Tempus semestre hodie initum vobis felix faustumque sit!

Valate! Ulricus Aeschlir et Thomas Wichtervir editores.



Aenigma nobis a Christa Camichel (4B, nunc VB) vobis solvendum missum. Propositum invenietis in parte av: sa; solutionem proximo mense dabimus. Solvere conamini!

Propositum: →

I. Primum exemplar RVMORIS VARII pridie Kal. Martias anno MCMCLXXVIII editum!

EXEMPLAR III
IDIBVS MAIIS
MCMLXXVIII

LIBELLVS
MENSVALITER
EDITVS

RVMOR
VARIVS

1/79
IDIBVS IANVARIIS MCMLXXIX



RVMOR VARIVS



II. Primus libellus forma grafica ornatus

III. Forma grafica orbe addito aucta


1+2 / 82
KALENDIS FEBRVARIIS
MCMLXXXII



TOMVS 5

FASC. 33

1/95
IDIBVS APRILIBVS
MCMXCV



TOMVS 18

FASC 107

IV. Numeri tomi et fasciculi indicantur

V. Forma grafica sine signo scholae,
quae RVMOREM VARIVM deseruit

opera poetarum!); tamen negari non potest, quin multa quoque inveniuntur discipulis nostro tempore - cum sint ab iis convertenda et ea! - minimi momenti.

Themata antiqua bellicosa discipulis nostro tempore non iam placent

Qua de causa illo die hiberno, quem supra memoravi, ille collega et ego id consilium cepimus, quo brevi tempore post RVMOR VARIVS natus est: ut discipulis nostris commentarios Latine scriptos proposituri essemus a nobis ipsis compositos, non themata antiqua bellicosa, sed *themata ad nostra tempora pertinentia sive moderna* tractantes, inter ea et res de societatibus variis hominum his nostris diebus viventium et res de cultura nostro tempore et res de statu litterarum nostra aetate.

Quomodo RVMOR VARIVS natus sit

Constituimus igitur nos tales commentarios scripturos esse eo proposito, ut discipuli, quorum animi ab rebus nimis militaribus et bellicis abhorrebant, libentius saepiusque textus Latine scriptos legere vellent. Quod propositum breviori tempore ad effectum adduci potuit quam speraveramus. Nam iam pridie Kalendas Martias anno MCMLXXVIII tales commentarii, quibus ab eorum ortu nomen "RVMOR VARIVS" dederamus, primum edi poterant. Qui tum maxima ex parte machina scriptoria mechanica (quia illo tempore nostrae machinae electronicae modernae, quas 'computatra' appellamus, nondum inventae erant), partim lineis litterisque ipsis manibus nostris delineatis compositi sunt. Horum commentariorum primorum sive 'primitivorum' faciem imagine I (in quinta pagina huius libelli) descriptam videtis, amici! Ceterum tum ex una sola (!) pagina constabant...

RVMOR VARIVS continet textus a discipulis compositos

Iam in illis primis commentariis discipulos adhortati eramus, ut ipsi textus Latine scriptos componerent et RVMORI VARIVM publicandos mitterent. Quae verba exaudita esse mox apparuit. Secundi commentarii a.d. IV Idus Apriles anno MCMLXXVIII editi iam ex quattuor paginis constabant!

De RVMORIS VARII formae graphicae ortu

Tertii autem commentarii Idibus Maiis eodem anno MCMLXXVIII primum forma libelli editi sunt. Qui profecto iam textus a nostris discipulis ipsis compositos continebant. Etiam a tertio fasciculo edito illa forma graphica vobis iam dudum nota et familiaris apparuit, quam discipulus formarum graphicarum creandarum peritissimus delineaverat (imago II, in pagina sexta huius libelli). Quae forma graphica a libello primo anni MCMLXXIX orbe addito amplificata per multos annos non mutata est (imago III). Libellus IX Idibus Novembribus primus involucro colore aranciorubro exornatus editus est. Annis sequentibus colores involucrorum pluries mutati sunt. Ex anno MCMLXXXII praeterea numeri tomorum et fasciculorum in involucro indicati sunt (imago IV).

Numerus paginarum XII (interdum VIII) uniusquisque fasciculi exeunte anno MCMLXXIX augeri poterat in XX, qui est nunc quoque numerus nobis usitatus. (Libellus 1+2/80 primus ex XX paginis constabat).

Et creverat collegium RVMOREM VARIVM edendum curantium interim ad personas sive collegas VI, quorum (vel quarum) nomina in libelli impresso indicata videtis.

Ubi autem comperimus nostrum libellum non iam solum a discipulis scholae nostrae (quibus solis enim adhuc quasi donum edebatur) legi, sed iam diu etiam a discipulis aliarum scholarum, decrevimus, ut quasi 'publicus' fieret: abhinc quivis amicus (vel quaevis amica) Latinitatis, sive discipulus sive discipula, sive dominus sive domina, sive professor sive agricola RVMOREM VARIVM subnotare potuit. Et ecce: numerus eorum, qui subnotare eum voluerunt, brevi tempore plus quam CCC erat; amici nostrorum commentariorum hodie ubique terrarum inveniuntur, sive Omahae (in illa civitate Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis, cui nomen Nebraska), sive Varsaviae (Warschau) in Polonia, sive Tokii (Tokyo) in Iaponia, sive Seuli (Seoul) in Corea Meridiana.

Ita factum est, ut nomen RVMORIS VARII post XX annos ab eius ortu plus significet quam nomen libelli tantum discipulis in scholis Latinitatem colentibus noti. Immo hic noster libellus omnes delectare velit, qui olim Latinam linguam didicerint et animo et mente conservare velint - discipulos discipulasque pariter ac homines iam adultos, iam seniores.

RVMOR VARIVS, cum anno MCMXCIV a schola desertus sit, ...

Anno MCMXCIV iste vir, qui duobus annis prius novus director scholae mihi praepositus erat nomine Zwiebacchus (eius nomen verum rectumque scriptum non memorem, cum non valeat, ut memoriae tradatur!), propter controversias nonnullas, quas cum eo habueram de moribus intolerabilibus, quibus scholam dirigere solebat, e schola me expulit, in qua RVMORI VARIO olim vitam inflaveramus et quae RVMOREM VARIVM adhuc mensualiter aliqua pecunia sublevarat. Ita factum est, ut relinquerem illam scholam, in qua XVII annos magister linguam Latinam docueram et XIV annos munere prorektoris functus eram. Idem Zwiebacchus autem, ubi abii, etiam RVMORI VARIO omnia stipendia, quibus adhuc alitus erat, deripuit (puto eum ita fecisse, ut collegae in schola remanentes quam minimas illarum rerum, quas scholae bono honorique instituissem, memoria tenerent).

.... tamen semper vivit, floret, crescit

Quid nunc faciendum erat RVMORI VARIO ab illo Zwiebaccho tali modo quasi parentibus suis privato? Quid et mihi ipsi omnibus muneribus omnique salario certo, quo una cum uxore et duobus liberis adhuc vixeram, privato?

Erant tum - quam celerrime! - dua imprimis curanda: primum, ut ipse in alio loco et aliquo novo munere fungens porro salaria certa mihi familiaeque meae ad vivendum necessaria merere possem; deinde, ut RVMORIS VARII vita salvaretur. Horum finium primum adeptus sum paulo post, cum Vituduri (Winterthur) officium meum proprium ad res publicandas et ad scripta omnium generum tractanda feliciter instituere potuerim; quod iam brevi tempore, postquam apertum est, florere coepit. Quo factum est, ut stipendiorum RVMORI VARIO necessariorum - Deo sit gratia! - partem iam brevi tempore egometipse solvere valerem; alteram partem vero reliqui amici et reliquae amicae ex collegio redactorum, qui (vel quae) redactores (vel redactrices) libello nostro adhuc fidem praestaverunt et semper praestant, contribuerunt partim mercedem accipientes, partim gratis operam dantes.

Ita nobis contigit, ut commentarii nostri lingua Latina scripti usque adhuc semper edantur, quamquam eorum vita haud semper lapidibus dolorosis dolosisque impositis vacuerit

De sorte autem illius Zwiebacchi, qui RVMORI VARIO vitam efflare frustra conatus est, tantum haec addam: Die XI mense Septembri anno MCMXCVI commentarii diurni Helvetici, quibus nomen "Neue Zürcher Zeitung", nuntiaverunt illum Zwiebacchum ipsum e munere suo expulsum esse propter magnas discordias de ratione scholae regendae, quas cum conditore scholae habuisset ...

Duos dies post ille scholae conditor mihi, cum ei telephonice de Zwiebaccho expulso gratularer, promisit, scholam suam RVMOREM VARIVM mox denuo stipendiis alituram esse. Talia verba ego tum libenter audivi; hodie autem - duobus paene annis post illud telephonema praeteritis - dubito, utrum vera dixerit necne. Nam usque ad hunc diem, quo haec verba scribo, promissum suum de stipendiis RVMORI VARIO denuo praebendis nondum solvit ...

Iterum rogo: Quae est causa successus nostri libelli?

Nunc, ut revertar ad quaestionem, quam vobis proposuerim narrationem incipiens et quam iterum proponens finem narrationis meae faciam: Quae est vera causa successus nostri libelli? Censeo duabus de causis id fieri: primum voluptate, qua omnes, qui ei symbolas publicandas mittunt, Latinitatem curent; deinde propter omnia illa maxime varia, quae in RVMORE VARIO tractari soleant. Quae enim non solum sunt themata antiqua et bellicosa, sed multo saepius themata ad tempus nostrum spectantia, quae hominibus ubique terrarum habitantibus maioris momenti esse videntur.

Valete!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



SOLVTIONES

aenigmatis 'Verba decussata' libelli 4/97

D	A	V	A	C	C	A	E	P	O	L	E	N	T	A ⁶⁷
A	P	E	R	A	I	X	B	R	I	A	P	O	P	A
P	P	L	V	P	A	I	R	A	M	R	H	V	S	R
S	A	T	I	R	E	V	I	N	E	D	I	A	V	O
I	M	A	C	A	P	N	A	D ³⁷	N	V	C ³⁹	E	M ⁴⁰	M ⁴⁰
L ⁴¹	E	N	T	E	S	G	L	I	S	M ⁴⁵	M	O	L	A
I	S ⁵⁰	T	E	R	I	A	A	V	A	R	V	S	V	T
S	C	A	S	O	T	O	S	M	E	V	M	T	S	A
C	A	L	I	X	T	I	E	P	I	T	Y	R	V	M
A ⁶⁶	M ⁶⁶	V	B	L	A	R ⁶⁷	R	A	V	A	H	E	S	I
T	A	S ⁶⁸	I	E	C	V	R	R	O	S ⁶⁹	T ⁷⁰	A ⁹⁰	I ⁹¹	D
O	R	A	C	C	V	C	V	R	B	I	T	A	T	A
B	I	B	A	T	S	A	B	A	I	A	I	C	A	S
O	V	A	M	I	L ⁹²	V	V	S	S	T	R	V	E	S
A ⁹⁷	S ⁹⁷	X ⁹⁷	E ⁹⁷	R ⁹⁷	X ⁹⁷	E ⁹⁷	S ⁹⁷	C ⁹⁹	H ⁹⁹	A	O	S	O	S

Sententia: Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas.

EXPLANATIONES

ad libram:

- 37 Claudii Caesaris pater = Claudius Drusus Decimus
- 40 millium->mille (M)
- 41 P. Cornelius Lentulus Sura, Lentulus Spinther
- 45 M. = Marcus (Tullius Cicero)
- 50 steri(lis) - A(ttica terra)
- 66 absolvo
- 67 album-en
- 69 porus/porrus
- 70 Titus
- 80 diaeta
- 97 artocreatis prima et ultima littera
- 98 Xerxes togatus = Lucullus

ad perpendiculum:

- 15 Augustus
- 39 condemnno
- 78 Armorica/armoracia
- 81 itaeo-mellis
- 94 Apicii libri decem sunt-> 6x10=60
- 96 Sexti
- 99 littera R
- 100 I uncia = XXIV scrupula->centum (C)
- 101 littera H

Stella GITTA

ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
5+6/97	115, lin. 3 133 ad perpendiculum: 3 31	Quo Quo modo... accumbas interiecti Latinao	Quo modo accumbis interiectio Latina

Sententiae Hispanicae

Ecce sententiae poetarum, scriptorum, philosophorum, artificum Hispanicorum in Latinum versae!

En ciertos momentos la única forma de tener razón es perdiéndola.

José Bergamín (1895-1983)

Interdum unica ratio recte dicendi est alteri concedere et assentiri.

*

Todos quieren la paz, y para asegurarla, fabrican más armas que nunca.

*Antonio Mingote (*1912)*

Omnem pacem cupiunt et, ut eam confirmet, plura arma conficiunt quam alia umquam aetate.

*

Genio es personalidad con dos duros de talento.

Pablo Ruiz Picasso, pintor (1881-1973)

Ingenium consistit in persona digna et auctoritate mixta cum duobus assibus bonae indolis.

*

Hay libros cortos que, para entenderlos como se merecen, se necesita una vida muy larga.

Francisco de Quevedo y Villegas (1580-1645)

Exstant libri breves, ad quos modo digno intellegendos vita longissima opus est.

*

Algunas personas enfocan su vida de modo que vivan con entremeses y guarniciones. El plato principal nunca lo conocen.

José Ortega y Gasset (1883-1955)

Nonnulli homines vitam sic agunt, ut promulsidibus et obsoniis nutrientes vivunt. Caput cenae autem numquam cognoscunt.

*

La violencia es miedo de las ideas de los demás y poca fe en las propias.

*Antonio Fraguas (Forges) (*1943)*

Adhibetur vis metu cogitationum aliorum et parva fide propriarum cogitationum.

Sólo en soledad se siente la sed de la verdad.

María Zambrano (1904-1991)

Nusquam nisi in solitudine veritatis sitis sentitur.

*

Todo lo que no se comprende, envenena.

Eugenio d'Ors, catalán (1882-1954)

Omnia, quae non intelleguntur, animum venenant.

*

Donde hay poca justicia, es grave tener razón.

Francisco de Quevedo y Villegas (1580-1645)

Eo loco, quo iustitia parva est, grave est vera sentire.

La traducción destruye el espíritu del idioma.

Federico García Lorca (1898-1936)

Translatio spiritum linguae destruit.

*

¡Pobre cultura, si estuviera en manos de políticos y funcionarios!

*Soledad Becerril , política (*1946)*

Egentes miserieque cultus atque humanitas, litterae artesque, si essent in manibus politicorum et magistratuum!

*

En el fondo tener sentido del humor es ser consciente de la relatividad de las cosas.

*Antonio de Senillosa, político (*1929)*

Revera festivitatem animi habere est sibi conscius esse relativitatis omnium rerum.

*

La mala educación es una de las cosas peores, y ahora está de moda.

*Luisa Bosé, actriz (*1932)*

Educatio mala et humanitatis absentia est res pessima, et nostris temporibus iste mos novissimus consuetus est.

*

Siente el pensamiento, piensa el sentimiento.

Miguel de Unamuno (1864-1936)

Sentit cogitatio, cogitat sensus.

*

Al poder le ocurre como al nogal, no deja crecer nada bajo su sombra.

*Antonio Gala (*1937)*

Accidit potestati idem ac nuci (arbori): nihil crescere sub umbra sua sinit.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



De iubilaeis hoc anno celebrandis

(Pars prima)

Quid anno 1798° in patria nostra actum sit

Anno 1798° res magni momenti Helvetiam concusserunt. Confoederatio (vulgo: Eidgenossenschaft) pristina tredecim pagorum (vulgo: Kantone) corrui atque nova civitas instaurata est, res publica enim Helvetica, quae dicitur.

Duodevicesimo saeculo confoederatio Helvetica nil nisi foedus laxum erat. Singuli pagi suo iure gubernabantur. In pagis urbanis, velut Bernae (Bern) Turicive (Zürich), tantummodo pauci patricii de sorte rei publicae decernebant. Sed etiam in pagis ruralibus oligarchia quaedam nonnullarum familiarum nobilium potestatem obtinebat. Quaedam regiones, velut Argovia (Aargau), Thurgoviave (Thurgau), sub dicione aliorum pagorum erant. Ibi indigenae a praefectis alienis regebantur.

Attamen regimina haec, etsi non erant democratica, quoad aspectum recentissimum, non erant tyrannides sive dictaturae. Magistratus summi plerique non commodis suis, sed saluti populi studebant. Itaque homines gubernati plurimi contenti erant. Saeculum duodevicesimum aetas prospera erat patriae nostrae. Pauci modo, imprimis cives bene exculti et divites, sed a regimine exclusi, clam rerum inversionem moliebantur.

Anno autem 1789° in Francogallia magna revolutio exarsit. Regi primum auctoritas, deinde honos, denique caput demptum est. Homines revolutionarii, qui se pro libertate, fraternitate, paritate pugnare affirma-

bant, crudelissime in eos saeviebant, quoscumque revolutionis inimicos esse suspiciebantur. Ceterum non sufficiebat eis populum ipsorum 'liberare', sed ceteris populis quoque revolutionis donum inferre studebant.

Sic anno 1798° etiam Helvetiam aggressi sunt. In ipsa Helvetia regentes nesciebant, quid agerent. Alii cum Francogallis loqui et eos sedare conati sunt, alii suaserunt, ut armis tantum esset loquendum cum invasoribus. Praeterea unusquisque pagus solus erat, solus stabat, solus suae ipsius sorti providebat.

Mense iam Ianuario copiae Francogallicae in Valdensem pagum (Canton de Vaud/Kanton Waadt) irruerunt. Cuius incolae mente fere et gaudio capti circum arbores libertatis saltaverunt et occupatores laeti salutarunt. Iam oblitus erant maiores suos anno 1536° etiam Bernenses liberatores salutavisse et semetipsos bene per tria fere saecula sub ditione Bernensi vixisse (anno 1653° immo milites Valdenses Bernensibus in suppressenda rusticorum rebellione adfuerant!).

Die 5° mensis Martii milites Francogalli Bernam urbem occupaverunt, etsi Bernenses eodem die Francogallos iuxta Culmen Novum (Neuenegg) superaverant. Alius enim exercitus Francogallicus apud Lignum Canum (Grauholz) Bernenses minimo virorum et immo mulierum (!) numero pugnantem proelio brevi devicerat. Sic Berna, quae inde ab urbe condita, id est ab anno 1191° numquam ab invasoribus penetrata erat, victa et occupata est. Non modo ursi e fossa ursorum abducti sunt, sed etiam rei publicae thesaurus permagnus Francogallorum spolia factus est. Sunt, qui Napoleonem generalem (et postea imperatorem factum) eo ipso thesauro Bernensi expeditionem Aegyptiacam praeparasse et solvisse dicant. Qua expeditione magis contra Anglos quam contra Aegyptos suscepta Napoleo militibus pyramidas admirantibus dixisse fertur: "Admiramini! Quattuor saecula in nos despiciunt!"

Homines Bernenses a militibus victoribus crudeliter tractati et spoliati sunt. Quicumque nunc libertatem advenisse speraverant, decepti sunt: Arma Francogallica multo magis premebant quam regimen patriciorum Bernensium mite et paternum.

Ceteris pagis autem decernendum erat, utrum se dederent an pugnam armatam susciperent. Francogalli enim Helvetiam omnino novam creaverunt: pagos pristinos aliter dividerunt, pagi tantum partes administra-

tivae erant neque iam civitates sui iuris, potestas plena et unica regimini 'Helvetico', quod dicebatur, erat. Quod regimen Aroviae (Aarau) sedem habebat. Vectigalia pristina abolita sunt (sed novis suppleta!), unicuique viro ius legatos creandi tributum est. Attamen Helvetia non libera erat, quod regimen Helveticum nil efficere poterat nisi Francogallis permittentibus. Imprimis religio vehementer supprimebatur, cum Francogalli revolutionarii fidem Christianam superstitionem putantes novum rationis cultum instituissent.

Pagi autem Helvetiae interioris catholici ecclesiae libertatem defendere quam servi Francogallorum esse malebant. Itaque armis sumptis contra copias maximas Francogallicas bellaverunt. Praecipue Suitenses (Schwyzer) strenuissime pugnaverunt et proelio iuxta Turrim Rubram (Rothenthurm) mense Maio gesto victores abierunt. Se tam fortes praestiterant, ut immo generalis Francogallus admirans pacem satis propitiam offerret. Suitenses se non diutius resistere posse bene scientes pacem inierunt. Pars novae rei publicae Helveticae facti sunt, sed milites Francogalli Suitiae (Schwyz) partem interiorem non penetraverunt.

At mense Septembri Subsylvani (Nidwaldner) regimen Francogallicum tolerare non iam voluerunt. Libertatis pristinae et maiorum praeclarorum memores arma sumpserunt et contra exercitum tunc temporis mundi optimum pugnare ausi sunt. Francogalli seditionem cito suffocaverunt et horribilissime in Subsylvanos, etiam in mulieres liberosque, saeviverunt. Vici incensi sunt, homines mactati vel torsi. Quod nonnulli Suitenses Subsylvanos adiuverant, Francogalli sub praetextu pacis laesae etiam Suitiam occupaverunt et vastaverunt. Tali modo libertas, fraternitas, paritas in nostram patriam inductae sunt!

Carmen illo tempore a Ioanne Kuhn compositum miseriam bene describit:

- | | |
|---|---|
| 1. Puer, montem ascendamus,
praesto sint campanulae.
Taedet domi me manere,
Galli memet fugavere.
Vae, nobis vae! | 1. Bueb, mir wei uf ds Bärkli fahre,
leg di Treichle a em Veh.
Ma nümme deheime blibe,
d'Franze möchte mi vertribe.
O je, o je! |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>2. At in monte vita laeta,
absunt Galli copiae,
patria sed et aspectum
foedum praebet et abiectum.
Vae, nobis vae!</p> | <p>2. Uf em Bärgli isch guet läbe,
d'Franze bruuchs de da nid z' gseh,
aber luegsch i ds Ländli use,
faht's di notti afa gruuse.
O je, o je!</p> |
| <p>3. Non iam tempus est antiquum,
res sunt adversariae:
Et thesaurum abstulerunt
populumque terruerunt.
Vae, nobis vae!</p> | <p>3. 's si nümme di alte Zeit,
's het ke Glück und Säge meh:
D's Gäld isch alls vo danne gfergget,
Land und Lüt, alls isch verhergget.
O je, o je!</p> |
| <p>4. Non iam patres nostri cari
praesunt nostrae patriae:
Volunt rustici regnare
nescientes recitare.
Vae, nobis vae!</p> | <p>4. Üsi guete Gnädige Herre,
die regiere üs nümme:
D'Buure wotte itz regiere,
mänge cha nid mal buechstabiere.
O je, o je!</p> |
| <p>5. Libertatem acclamarunt
- dolent nostrae animae!
O, libertas emigravit
nosque Gallus superavit.
Vae, nobis vae!</p> | <p>5. Vo dr Freiheit chöi si schreie,
's tuet eim fry im Härze weh!
D'Freiheit isch ja ganz verschwunde,
und a d'Franze si mer bbunde.
O je, o je!</p> |
| <p>6. Quales homines sunt facti?
Mentes plane aliae!
Exsecrantes et potantes
vides Deum ignorantes.
Vae, nobis vae!</p> | <p>6. Was isch us de Mönsche worde?
O, me kennt se nümme meh!
Flueche, frässe, suuffe, schwöre,
weder Gott no Mönsche ehre.
O je, o je!</p> |
| <p>7. Sed - pro Deus! - iam senesco
saetae et sunt candidae.
Terra debet si perire,
malo quoque interire.
Vae, nobis vae!</p> | <p>7. Doch, Gottlob, i bi ja alte,
mini Haar si wyss wi Schnee.
Söll de ds ganze Land verdärbe,
isch's am beschte, hüt no z' stärke.
O je, o je!</p> |

Annis subsequentibus res parum mutatae sunt. Immo copiae Austriacae et Russicae Francogallos superandi cupidae per nostras regiones migraverunt sic miseriam augentes. Anno 1799° in Helvetia complura proelia inter exercitus alienos gesta sunt. Helvetii ipsi partim Francogallos, partim Austriacos Russosque adiuverunt. Anno 1802° Francogallis per breve tempus ex Helvetia regressis bellum civile inter Helvetios diversarum partium, id est 'patrioticae' et 'conservativae', ortum est, quod, cum armis modo simplicibus et paucis certaretur, *bellum baculorum* (Helvetico-Theodisce: *Stäcklichrieg*) vocabatur. Anno 1803° Napoleo Helvetiis novam constitutionem imposuit, qua pagi pristini restituti, sed regiones, quae antea sub ditione aliorum pagorum fuerant, pagi novi facti sunt. Res publica Helvetica 'una et individibilis' non iam exstitit!

Martin Meier



Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. pronomen personale (Dat. sg., Latine aetatis mediae)
2. intres
3. dea Romana
4. mons in Thracia situs (Dat.)
5. ubi Alexander Magnus Persarum regem Darium vice-rit (nomen Graecum)

Daniel Weissmann

Res variae et mirae de bestiis

'Custos publicus' mordens




Reiko canis fortis et bonus fuit. Sed postquam adiutor ille custodum publicorum in maleficis investigandis et capiendis assuevit potius custodes publicos quam scelestos mordere, ex officio dimissus est.

Praetor urbanus oppidi Magnae Aquae Cadenes (Greats Falls, in civitate Montana) in

Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis siti: "Olim Reiko magno usui nobis fuit", inquit, "sed nunc onus factus est. Neque civem innocentem neque sceleratum momordit, sed semper custodem publicum." Canis pastoralis Germanicus ante septem annos munus suum susceperat. Anno 1994° autem Reiko alicui viro, qui in custodem publicum sclopetaverat et in domum se recipiens portas inaedificaverat, arma adimere debuit. Cum custodibus publicis non succederet portam latebrarum viri armati materia displosiva effringere, Reiko non moratus femur collegae humani momordit. Paulo post in exercitatione nocturna iterum collegam bipedem dentibus captavit: tum custodem publicum militarem elegit.

Amor volat undique...



Vere ineunte femina cycnea iuvenis quoque die matutina hora septima et media in fine pistae aeroplani meridiana aeriportus Lucani-Agno (Lugano-Agno) in pago Ticinensi Helvetiae siti consedit. Periculum erat, ne avis in helicis aeroplani avolantis incideret. Res etiam difficilior facta est, cum cynus ad feminam venit et amore

captus eam semper comitatus est neque umquam reliquit. Cum par cycneum comitatus aeroplanorum periculum esset, a lacu Ceresio (Lago di Lugano) in lacum Verbanum (Lago Maggiore) translatus est. Ibi volucres amantes quieti amore frui pergere possunt.

Daniel Weissmann

De iucunditatibus melodramatum

In melodramatibus homines saepe cupiditatum incendiis flagrant, provehuntur in maledicta, adversariis insidiantur, alii alios pro acceptis iniuriis ulciscuntur et evertere conantur. Id saepe amoris causa faciunt. Sed nolite oblivisci magni numeri epularum et conviviorum, quae in argumento fabulae maximi ponderis sunt.

"Stomachus est moderator, qui symphoniacos cupiditatum nostrarum regit"; haec est sententia componistae nomine Gioacchino Rossini, qui non solum compositor melodiarum egregius, sed etiam coquus optimus erat. Dicere solebat hoc: "Ars edendi, amandi, cantandi, concoquendi quattuor actibus melodramatis continentur. Melodrama autem vitae nostrae simile est."



Don Giovanni bibens et cantans

Componista ille nomine Wolfgang Amadeus Mozart in opere titulo 'Don Giovanni' ostendit hominem genio indulgentem, mulierosum et multibibum. Qui tandem poculum vino impletum manu tenens in inferum fertur.

Giacomo Puccini componista nobis proponit in melodramate, cui nomen 'Tosca' est, hominem, qui Scarpia nominatur, cui publicae securitatis cura delata est. Homo is epulis lautissimis gaudet. Sed vero epulae ultimae sunt, nam Tosca, mulier magni animi, Scarpiae ventrum cultro perfodit. Assum refrigerat et vinum Hispanicum acidum fit!

Variae potiones veneficorum veneficarumque alios delectant alios perdunt, quod praecipue in melodramatibus componistae nominis Richard Wagner apparet.

Sed mentionem facere malo de illo cantu bibendi amabili a componista Mozart redacto, qui iucunditates vitae laudat. Fere verba cantus haec sunt: "Vivat Bacchus, erat vir honestus. Vivant puellae comis flavis fuscisque!" (Secundum bicinium melodramatis nomine 'Raptio domo principis facta', Theodisce: 'Die Entführung aus dem Serail').

Barbara Maier

Facete lepideque dicta

Magister physicae Albertum discipulum satis crassum interrogat: "Quid esset, nisi Edison(ius) lampadem electricam invenisset?" Ad quae Albertus oscitans: "Tunc candelis accensis ante televisorium sedeamus necesse esset."

Magister Marco: "Iterum sero advenis. Nonne horologium excitatorium tibi est?" Marcus respondet: "Certe est, sed istud instrumentum maleficum semper iam sonat, cum equidem dormiam. Sic fit, ut id non audiam."

Duae dominae aetate iam provectae in caupona assatum suinum sibi afferri iubent. Tunc autem animo mutato e ministro cauponae quaerunt, num pro assato suino assatum anserinum afferri liceat. Minister adnuit, tunc magna voce in culinam vociferat. "Pro duobus suibus bis anserem praeparate, quaeso!"

Otto narrat: "Heri, hercle, inebriatissimus fui. Cum primum deversorium attigeram, calceamenta exui et in lecto posui, deinde memetipsum prae ianua steti." - "Et quando errorem animadvertisti?" - "Hodie bene mane, cum aliquis veniret me purgatum."

Vates quidam aquae reperiendae peritissimus virgam prae se gerens per viam ambulat. Virga ex improvise vi quasi invisibili humum trahitur. Vates: "Hic certe aqua latet." Ad quae comes eius: "Sileas velim, quaso. Hoc enim loco cavea mea vinaria est."

In aëriportu Palmapolitano (Las Palmas, Canarias) periegeta Germanus ab indigena Hispanice salutatur verbis his: "Buenos días!" Germanus autem: "Gratias ago tibi, domine, sed ipse photographo."

In caupona: "Domine minister, cummarus recentissimus esse non videtur." - "Quo modo id fieri potest? Hodie mane e Mari Baltico ad nos venit." - "Hoc saltem verum est, sed certe pedibus iter fecit."

Purgatrix praefecto argentariae querens: "Nullam in me fidem habes, domine praefecte!" Tunc ille: "Cur hoc dixisti? Immo claves aerarii in mensa iacent, cum purgas." Ad quae purgatrix: "Iacent, sed nulla earum aerario apta est."

Martin Meier

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur

PP/Journal

4702 Oensingen

1/98

IDIBVS MAIIS

MCMXCVIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 21

FASC. 122